

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Pax s
cum fonte primo

Tunc est uera pax hominis et uera libertas, quando et caro animo iudice regitur, et animus Deo preside gubernatur.

Leo in sermone.

Si autem mens rectori suo subdita et supernis muneribus delectata, terrenae uoluptatis incitamenta calcauerit, et *in suo mortali corpore peccatum regnare* non siuerit, ordinatissimum tenebit ratio principatum, et munitiones eius nulla *spiritualium nequitiarum labefactabit* inlusio, quia tunc est uera pax hominis et uera libertas, quando et caro animo iudice regitur, et animus Deo praeside gubernatur.

Leo Magnus, *Tractatus septem et nonaginta* (recensio beta), 39 (CCSL 138A, A. Chavasse ed., p.213, ll.39-46).